

nobis dedit Cod. 214, item A. 1722 Consiliarius aulicus et Medicus regius Heucher Cod. 257, et A. 1729 idem Cod. 350; deinde A. 1730 Benj. Acoluth („Regiments-Schultze in Dresden“) nobis vendidit Cod. 410, A. 1753 Baro de Roeder dedit Cod. 145, et alia quae narrare longum est. E Bibliotheca Frid. Rostgaardi, Dani, accepimus, dubium quomodo, Cod. 363: qua occasione utor ad errorem, quem in hoc codice recensendo admisi, corrigendum. Dixi enim, multas illas notas marginales et in prima parte etiam correctiones Seebischii esse, ideoque totum codicem mihi videri commercio cuidam hujus cum Gallandio deberi. Sed illis accuratius inspectis et cum scriptura Seebischii comparatis, intelligo, ductum in illis puriorem esse et castigatiorem; ut jam non dubitem, quin hic quoque, ut in nomine codici praefixo, ipsius Frid. Rostgaardi manum habeamus. Nomen est illud quidem literis majoribus et elegantius inclinatis pictum; sed in codice signando Rostgaardus facile potuit curam majorem adhibere. — Superest codex aethiopicus No. 415: de ejus origine quid sentiam, ad eum ipsum dixi. His addo, Codd. 521, 555, 543, 546, 548, 549, 576 et 582 omnes extrinsecus habere titulos ab eadem manu chartha'liq admodum implicato deproperatos; unde constare videtur, eos olim in Oriente ad eandem bibliothecam pertinuisse. Omnino et argumenta, et charta orientalis, et literarum species, et totus habitus fidem faciunt, hos nec non Codd. 553, 558, 545 et 547, in Persia, fortasse nonnullos eorum in ipsa India, scriptos esse, id quod etiam probabile est de duobus exemplaribus Mahabharathi persice versi (452 — 4), quae Cl. Adelung vili pretio conjunctim emit. Horum aetas vix seculo major esse potest. —

Ex iis igitur quae huc usque dicta sunt, intelligitur, spolia e bellis turcicis reportata, quae quidem alicujus sint momenti (nam Corani recentius scripti et libelli precatorii in censum non veniunt), et de quibus illud ipsum certo constet, quamquam non plane apud nos desiderentur, tamen longe pauciora esse, quam adhuc vulgo existimatum est; e Derengowskii demum, Weidmanni et Seebischii copiis bibliothecam insigniora cepisse incrementa, minora ex iis quae pro ea emit Götzius et quae subinde e collectionibus Reiskianis, Brühljanis, Bühnavianis aliisque ad eam accesserunt. —

Hos igitur libros Catalogus meus tibi sistit. Id vero miraberis et vereor ne moleste etiam feras, quod tibi hanc molem tam rudem indigestamque obtrudo. Equidem digerendi operam non recusavi. Sed visae sunt causae haud leves obsistere, quo minus ordo is, qui semper fuit, inverteretur. Quum tamen in animum inducere non possem, ut te sine filo quodam Ariadneo in hunc Labyrinthum injicerem, Catalogo praefixi tabulam, in qua libros nostros secundum linguas et argumenta descriptos vides, subjunxi autem indicem triplicem. — Atque hoc loco consentaneum est, me aliquid praemonere de ea, quam tenui, ratione nominum orientalium literis latinis (ea enim erat conditio proposita) scribendorum et in indices referendorum. Primo loco id fuit curandum, ut quaeque litera arabica, persica, turcica, certam haberet literam latinam aut literarum complexionem qua constanter redderetur, ita ut, nomine latino conspecto, statim de scri-